



## 28 OBSERVAT. SIDEREAE

Die 4. hora secunda circa Iouem quatuor stabant Stellæ, orientales duæ, ac duæ occidentales

Ori. \* \*  \* \* Occ.

in eadem ad vnguem recta linea dispositæ, ut in proxima figura. Orientalior distabat a sequenti *min. 3.* hæc vero a Ioue aberat *min. 0. sec. 40.* Iupiter a proximo occidentali *min. 4.* hæc ab occidentali ori *min. 6.* magnitudine erant fere æquales, proximior Ioui reliquis paulo minor apparebat. Hora autem septima orientales Stellæ distabant tantum *min. 0. sec. 30.* Iupiter ab orientali viciniore

Ori. \*\* \*  \* \* \* Occ.

aberat *min. 2.* ab occidentali vero sequente *min. 4.* hæc vero ab occidentali distabat *min. 3.* erantq; æquales omnes, & in eadem recta secundum Eclipticam extensa.


Die 5. Cœlum fuit nubilosum.

Die 6. duæ solummodo apparuerunt Stellæ

Ori. \*  \* Occ.

medium Iouem intercipientes, ut in figura apposita spectatur: orientalis a Ioue distabat *min. 2.* occidentalis vero *min. 3.* erant in eadem recta cum Ioue, & magnitudine pares.

Die 7. duæ adstabant Stellæ, a Ioue orientales

Ori. \*\*  Occ.

ambæ, in hunc dispositæ modum intercapedines inter ipsas, & Iouem erant æquales vnus nempe minuti primi; ac per ipsas, & centrum Iouis recta linea incedebat.

Die 8. hora 1. aderant tres Stellæ orientales o-